

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum die Martis decimâ-quartâ Martii M. DCC. XLI.

M. LUDOVICO LEMERY, Medico Regis Ordinario, Regiæque Scientiarum Academiæ Socio, & in Horto Regio Chymiæ Prefessore, Doctore Medico, Præside.

An aulicis mulieribus sanitas firmior ab Equestri Venatione?

I.



DIVERSARUM corporis functionum integritas, sanitas est, quæ in aulicis mulieribus firmior evadit, dummodò membra quælibet suas obeant actiones egregiè, dummodò legitimus adsit rerum nonnaturalium, potissimumque exercitiorum usus; horum enim ope, corpus sese superfluis exonerat, regia sternitur via humoribus qui distribuuntur pro nutritione, aperiuntur capillarium tubuli ad excipiendos spiritus ad vitam, ad motum, sensus, animæ-

que impetus idoneos. Eodem sed inefficaciori modo parva favet exercitatio senibus, puerisve conveniens, vel à prægresso morbo recens relevatis; ut sunt curulis vectatio, gestatio in Sellâ, navigatio. At valens vehemensque exercitatio quæ nervis & omni perficitur musculorum nisu, annexamque habet cum agilitate velocitatem,& robur,ut Lucta,Cæstus,hoplomachia,laboriosa Rusticanorum vita inducunt *Polysarchiam*, lacertis addunt vires. & ad præmia in certaminibus promerenda homines reddunt corpore valentiores. Quæ veró Glirium vitam vivunt aulicæ, quas sola fatigat desidia, quæque totæ in talis & aleâ, excrementorum proventu, quem nolunt mediocri exercitatione répurgare, meritò cruciantur; illæ, inquam Medicos frustrà consulunt pro imperandâ aëris salubritate, cibi potusque ordine, mensurâ & usu definiendis: frustrà somnus & vigiliæ acceptissimâ vicissitudine suas implent horas, incassùm animi pathemata ad rationis normam inflectuntur, nisi ea quæ servari mos est, aut excerni debent, ex naturæ votis se habeant. Hæc autem ab exercitio mediocri expectanda sunt. accedet tunc robustum quid visceribus, firmaque corpori constitutio.

I I.

EXERCITATIO partim animi, partim corporis peracta motu, quæ versatur in Piscibus, Avibus, aut Quadrupedibus, vi, dolo-ve capiendis, venatio est. Prima ob hami tarditatem, aquarum tædium & injurias causaria, mancipiis ut plurimùm fuit derelicta. Accipitraria plus placet, nec optimatibus indigna videretur, si sana magis, aut minus esset plena servitutis; tertia demùm omni cognita sæculo nullis prohibita legibus & nobilior, quadrupedes canibus insectatur & armis, sive pedestris illa sit, sive fiat veredo vel Asturcone. Hæc casta voluptas aulæ, ingenium acuit & sensus, capitis languores tollit, pectoris curat morbos, viscera reddit defæcatiora, & parit cum agilitate coloratam faciem. Aulicæ mulieres in crastinum venaturæ accersunt lorarii ministrum canis, rogant an coëgerit Cervum, an ex recrementis aut vestigiis annos distinxerit & sexum, dein ad conventum & frugale sub herbâ prandium designant loca, atque ubi subsidiariis canibus & equis opportuniora selegerunt, prostrata sopore membra componunt lecto, ex quo Venationis impatientes ante Gallicinium surgunt, luminibus accensis solis moram castigantibus. Interim in futuræ oblectationis speciem omnia disponuntur; jam incondito murmure servorum huc illuc ad officia properantium, canum latratibus, & tubarum clangore personat tota domus, junguntur gemelli canes, Venatrices ocreantur, quæ sub cyclade breviori fœminalia subdunt, ut si fortè cadant equo, cura maneat casti decus servare pudoris; sagum induunt murice ardens, & bracteis inter punctum argenteis, attalicæ vestis fluentes sinus attollit auri fibula, lata fascia cingit Lumbos, quos pendulum ex lorâ buccinum suppalpatur blandè; collecti tæniis in tutulum crines galerum excipiunt indiarum divitiis, ardeæ & struthiocameli insignem plumis. Nec injuriâ superbum cordis tumorem placens ornatus levat, proximâque Venationis lætitiâ saliens corpus; nullo adjuvante, conscendunt equos, masculâ sessione mentiuntur sexum, clamore simul & lituo Cervum insequuntur fugientem, notant hallucinationem canum, & cautè adventitii hinnuli cum vero Cervo currentis, eludunt frustrationem, dumque silvas canibus quatiunt & utroque calcari veredos urgent, habent aliquid quod hyppolitus invideret.

III.

CERVORUM ex Equis Venatio res ſanè regia, magnum belli tyrocinium est, ab eâ quippe ut filii Heroum animo fortes, alterno fraudis, virtutis & excubiarum motu bellicoſiores fiunt; ſic & Heroinæ, nullo timoris Pharmaco, ſolâ ſed periculorum aſſuetudine evadunt animoſiores. Cùm ad fines ſuos properat Cervus, ore nigro eſt, in genua procumbit, lacrymis nil ultrà vitam quam non exorat rogaturus, pudibundâ ſorte perit, tuncque enervati corporis animoſum quatiens caput obvios canes eviſcerat, circumſtantium Equorum ſtragem facit & Venantibus minatur exitium; at Venatrix præſenti diſcrimine generoſior facta, aperto decertat marte, fallit deſperatam feritatem & aſtu jugulat, ſic dolo, ſic virtute belluam ſuperat fœmina, & dolus an virtus, quis in hoſte requirat? Interim aliæ ad mortem Cervi intrepido vultu convenientes, omnes ſi non Dianæ, ſaltem credi poſſent, ſi aut arcum tenerent manu, aut gremio Endymionem. Nec morâ amputato anteriore pede & dextro ejus feræ, quam ultrò ad dilacerationem deſtinant, petitâ prædâ, ſuâ victoriâ ovantes & famelicæ redeunt domum, præteritorumque hiſtoriâ longioris itineris faſtidia conſumunt. Et poſtquam naturæ lapſus, intemperiei vitia, & errores in victûs ratione commiſſos Equeſtri Venatione deleverunt, exhauſtos diurno motu ſpiritus deperditamque ſubſtantiam cœnâ reficiunt lautiori, quæ eò magis ſana erit quò antè iverit largiùs exercitium; ab eo enim profundiores obrepunt ſomni, felicior ſequitur concoctio, perficitur nutritio; non ergò mirum ſi unaquæque Venatrix ſibi ſit *Iatralipta*, & crimen putet Medico indigere.

IV.

URBANÆ contrà molliores, ad perpetuam Medicorum operam ſuſpirant, pro iis cicurandis ægritudinibus quas movit veſana ſatietas torpentis vitæ. Morbi cauſæ ſi deficiant, nimia ſuppeditat felicitas, nec mirum ſi ex optimi ſucci alimentis multùmque nutrientibus, eam ſibi maciem inducant quæ denudat oſſa, & pitiſſando cibos delicatiores, quos, Cupedinarius ad linguæ delicias & palati ſaporem coxit, ſibi ſorbeant materiam morborum, illiuſque palloris quem mortuos deceret, ſi ambularent. Quapropter medentium tam in explendo quam in vacuando par eſt labor; & dementes ut ſunt, poſito pudore corpus aperiunt alternatìm excrementis, medicaminibus, alimento. Aliæ quas ingenioſa gula ſaginavit, & otium multâ pinguedine obrutum corpus ægrè trahunt, ambitioſiſque eduliorum varietate & apparatu factæ præpingues, Epicuri de grege porcæ, commeſſationum pulpamenta tuburcinando quæ cruſtularius inſtruxit, viſcera incraſſant, ſpretiſque ingenuarum exercitiis, ſolam quam norunt lecti & cubiculi colunt amicitiam. Intereà luduntur ſtultiſſimæ fallacibus agyrtarum conſiliis qui cubanti luxuriæ patrocinantes, putatitios delirantium affectus malis artibus curant, aut pollicitatione fictitiâ; frequentiori Phlebotomiâ inanes ſanguine venas crudis rotundant ſuccis, & forſan vacuum intempeſtivâ purgatione ventrem, amygdalatis, hordeatis, avenaceis implent & ſimilibus quæ circulatorum infidelitas ad invaletudinem, morbos prorogandos, excogitavit. Hæc quippe ſingula ventriculo faceſſunt negotium; fibras laxant, infringunt robur, viſcera impediunt obſtructionibus, illuvie turpiſſimâ farciunt quam victûs intemperantia toto corpore ſparſit. An non mulieris otioſæ

mens corpusque alimentorum satietate obtunduntur? His superandis sat essent corporis exercitia, aut si saperent inedia.

V.

CUM homo comedens sanus esse nequeat nisi plurimùm exerceatur, sitque sanitatis tutela, non satiari cibis, & impigrum esse ad laborem, fit ut aulicæ Venatrices inter quietem & motum nullum non dividere debeant diem. Illæ ab origine invalidiores, & pro sexus temperamento humidiores & subfrigidæ, Equestri se se exerceant Venationi, ut sanitas firmior enascatur & blandi sensûs causa procreetur; omnis quippe naturalis inanitio inducit voluptatem quam intensiorem reddit legitima exercitiorum in Venatione series, in quâ motus incipiunt à levioribus, & progrediuntur ad celeriores, paulatimque ad remissos deveniunt; inde firmantur membra, superfluorum excernuntur reliquiæ, à quibus anteà penè suffocatus revivíscit nativus calor, maximé si pro modulo virium innatâ corporis temperie, & probatâ consuetudine imperentur. An non toto Venationis tempore amœna locorum varietas oculos pascit? Ipsa aëris liberè spirati salubritas corpus recreat universum, mulcentur aures tubæ sonitu, vociferatione expurgantur respirationis instrumenta, viscera Equitatione concussa ad secessum disponunt quæcumque vesicâ intestinis & utero nidulantur. Quid plura? Dum Venationi student aulicæ, rusticarum laborem, & urbanarum inertiam tempestivâ effugiunt exercitatione, succos minuunt exuberantes, somnos conciliant sibi salubres, accelerant ciborum coctionem, superfluitates absumunt, bonum corporis habitum servant, fœcundiores fiunt, sensûs atque animi vigorem assequuntur, ad bellica se exercent, periculis sibi parant audaciam, morantur senectutem.

Ergò aulicis mulieribus sanitas firmior ab Equestri Venatione.

Proponebat Parisiis ABRAHAMUS-FRANCISCUS-LEO COL DE VILARS, Inculismensis, Baccalaureus Medicus, A.R.S.H. 1741, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.